



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Verbo Dei Libri Tres

Helm, Heinrich

Coloniae, 1560

VD16 H 1736

Panem uerbi Dei, Luderani corrumpunt fermento suo & per additionem  
ueneni suorum errorum. Cap. XXXVI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30114**

**Psal. 4.** gelici: vsq; quo eritis graui corde: aut diligetis vanitates,  
& quæretis mendacium, spreta omnia vincente veritate?  
Hæc de falso eorum nomine & titulo dicta sufficiant in  
præsentiarum.

*Vinum optimum doctrine sanæ Luderani miscent aqua er-  
rorum, & confundunt turbantq; fecibus hæresum  
suarum. Cap. XXXV.*

**Hest. 1.** **Esai. 1.** **Psal. 74.** **Hiere. 25.** **Matt. 25.** **Ioan. 19.** **Deut. 32.**  
**A** **V** Ae vobis viris impijs: qui vinum optimū verbi dei,  
quod abundās, vt magnificentia regia dignum est,  
in mensa sacræ scripturę electis proponitur, aqua misce-  
tis falsitatis, & errorum fecibus, de quibus bibunt, omnes  
peccatores terræ. Sic vinum purum, optimum & precio-  
sum, felle & aceto misceatis vestræ hæreticæ expositionis,  
& bibendum illud porrigitis Christi membris, vt turben-  
tur & insaniant: sicut habes in Hieremia. Verum, Iesus  
cum gustasset noluit illud bibere: erudiens nos, vt si quã-  
do de vinea Sodomorum aut de suburbanis Gomorræ  
calix nobis porrigitur, felle draconum & veneno aspi-  
dum insanabili hæreticę doctrinæ mixtus, ne mortiferum  
illud bibamus, si illud audimus vel legimus (quod nihilo-  
minus periculi plenissimum est) nec illud intra viscera  
cordis nostri glutiamus per consensum.

*Panem uerbi Dei, Luderani corrumpunt fermento suo  
& per additionem ueneni suorum erro-  
rum. Cap. XXXVI.*

**1. Cor. 5.** **Matt. 16.** **Roma. 8.** **Luc. 12.**  
**A** **V** Ae qui panem vitæ & intellectus, quo Deus fide-  
um suorum animas in hoc mundo pascit, corrup-  
punt fermento prauæ expositionis. De quo scriptum est:  
Cauete à fermento pharisæorum, Sadducæorum & Hero-  
dis: Quia modicum fermentum tale, totam massam, hoc  
est,

est, magnam scripturarum syluam, corrumpit. Modicum *I. Cor. 7.*  
 dicit: Nam vt de multis paucos locos delibem ac summis *Galat. 5.*  
 (vt aiunt) labijs tangam: Fides iustificat: Christus pro no-  
 bis apud patrem interpellat: Christus est mediator: Chri-  
 stus est imitandus, audiendusq; &c. His dum Luderani  
 hanc exclusinam, sola, vel solus: addunt (quod prauum  
 Sadducaeorum istorum fermentum est & additamentum  
 Leuiathan) totam scripturarum massam corrumpunt, &  
 multos de ijs falsos libros conscribunt, garriendo: sola fi-  
 des iustificat: Solus Christus in caelis pro nobis, interpel-  
 lat: Solus Christus est vita, dulcedo, spes, fiducia, saluator,  
 lux, & imitandus.

*Fermentum Luderanum quomodo est expurgan-  
 dum. Cap. XXXVII.*

**V**erum quia continuum phase siue pascha in hac vi **A**  
 ta agimus, qua ad terram promissam aeternae vitae  
 pergimus, quae lacte & melle exuberat, ergo fermentatum  
 panem sub mortis interminatione, de domibus cordium no-  
 strorum expellere, & istud fermentum vetus expurgare  
 tenemur. Hoc autem de libris Luderanorum intelligi volo:  
 Alioqui si apud aliquem fuerit inueterum, morte plecti de- *Exod. 12.*  
 bet, & reus est mortis. Imo, nec in cunctis finibus & locis *Ex. 13.*  
 filiorum Israel, sustineri potuit. Hoc signante spiritus san-  
 cto, quod haereticam doctrinam, non solum ex domo ani-  
 mae nostrae interiori, sed & ex finibus sensuum exteriorum,  
 prorsus excludere debemus, & procul eliminare. Sic legi-  
 mus in actis apostolorum, multos qui curiosa fuerant secta-  
 ti, antequam audierunt verba vitae, & Christo fuerunt initia-  
 ti per apostolos, postquam conuersi sunt ad Deum, mox *Act. 19.*  
 confitebatur peccata & actus suos. Multi item qui curiosa  
 fuerunt sectati, contulerunt & combusserunt libros suos  
 coram omnibus. Hoc modo, fermentum luderanorum